

aliter eveniat, hanc distinctionem utrique adprobant, sed alteri censent, quibus in rebus cum causae antecesserint non sit in nostra potestate ut aliter illa eveniant, eas fato fieri; quae autem in nostra potestate
5 sint, ab iis fatum abesse *

Hoc modo hanc causam disceptari oportet, non ab
atomis errantibus et de via declinantibus petere prae-
sidium. 'declinat' inquit 'atomus'. primum cur? aliam
enim quandam vim motus habebant a Democrito in-
10 pulsionis, quam plagam ille appellat, a te Epicure gra-
vitatatis et ponderis. quae ergo nova causa in natura
est quae declinet atomum? aut num sortiuntur inter se
quae declinet quae non? aut cur minimo declinent inter-
vallo, maiore non? aut cur declinent uno minimo, non
15 declinent duobus aut tribus? optare hoc quidem est,
non disputare. nam neque extrinsecus impulsam atomum
loco moveri et declinare dicis, neque in illo inani, per
quod feratur atomus, quicquam fuisse causae cur ea
non e regione ferretur, nec in ipsa atomo mutationis
20 aliquid factum est, quam ob rem naturalem motum sui
ponderis non teneret. ita cum attulisset nullam causam,
quae istam declinationem efficeret, tamen aliquid sibi
dicere videtur, cum id dicat quod omnium mentes asper-
nentur ac respuant. nec vero quisquam magis confirmare
25 mihi videtur non modo fatum, verum etiam necessitatem
et vim omnium rerum sustulisseque motus animi vo-
luntarios, quam hic qui aliter obsistere fato fatetur se

20

46

47

48